



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Impedimenta

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Caput I. De malitia peccati venialis

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55524](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55524)

CAPUT I.

DE PECCATO
VENIALI,

Cùm noxa lethalis probitatem penitus excindat, spiritum sanctum omnino exterminet, ab ultimo fine nostro, nempe à cælo & DEO, ad tartara nos rectà abducatur; Verbò: cùm animæ pestis, mors ac damnatio sit, nimis honoratè à nobis ac leniter haberetur, si solùm sanctimonix remoris accenseretur. Proin prætermissa hac stygia malorum Lerna, utpote cujus monstruosa turpitudine impietasque sola sui umbra exanimat pias mentes, à peccato veniali tractationem hanc auspiciari constitui, tanquam à primario (quæ Patrum mens est) perfectionis obstaculo. Ad hujus verò fugam nos potenter incitabit ejus malitia attentè considerata 1. in se, 2. in suis effectibus, 3. in suis suppliciis.

§. I.

De venialis peccati malitia
considerata in se.

I. **P**eccatum veniale est magnum malum in se, quia (ut divino admonitu cognovit (a) B. Catharina Genuensis) est pejus quid omnibus mundi malis collectim sumptis, ipsa etiam morte, ipso etiam orco. Id concordi sententia asserunt sancti Chrysostomus, (b) Anselmus, (c) Dorotheus, (d) Aquinas. (e) Quia imò ipse etiam Aristoteles solo lumine naturali illustratus, *melius est mori, ait, quam facere aliquid contra bonum virtutis.* (f)

I.
Post letabile est malum in orbe maximum.

Huic auctoritati convincens ratio suffragatur; nam (ut docet S. Thomas)

A 5

plus

(a) In ejus vita c. 27. ubi hæc: fuit illi in spiritu demonstratum, multò intolerabiliorem esse Deï offensam quamlibet exiguissimam ipso Luciferi inferno. His similia leguntur c. 12. & 14. ubi dicit: Omnia alia hujus mundi tormenta nihil esse in comparatione talis offense. (b) Hom. 5. ad Pop. (c) l. de Simil. c. 190. (d) Serm. 20. (e) 2. 2. q. 110. a. 3. ad 4. (f) l. 3. Ethic.

plus habet de ratione mali culpa, quam pœna. (g) Ergo cùm calamitates hujus vitæ, nex ac inferorum supplicia non sint nisi multæ reis infligendæ, Jure infertur, crimen etiam leve malignitatis amplius obtinere. Præcipuè cùm supremum Numen cruciatuum illorum creator sit, eorumque causa (ut ajunt) positiva existat; delicti verò etiam minimi author esse, Divinitate id vetante, nullatenus queat. Plus igitur illud de ratione mali habere necesse est; cùm nec præ tartaro eligi possit.

Itaque ô Mortales! *auribus percipite, & audite vocem meam, (verba sunt Isaiaë) attendite, & audite eloquium meum.* (h) En! venialis quilibet nævus quid pejus est omnibus mundi malis collectim sumptis, ipsa etiam morte, ipso etiam orco. Inde jam quid concludam attendite. Ergo si maximas mundi misérias unico tali errato impedire: aut si summa orbi commoda unica ejusmodi noxa procurare possem, illam patrare non liceret. O quis mihi det,
ut

(g) 1. p. q. 48. a. 6. (h) Isa. 28. v. 23.

ut hæc sensa *celte sculpantur in silice*
cordis tui, quicumque *bibis quasi aquam*
ejusmodi *iniquitatem* ! (i)

O Christiane ! si mendaciunculo
omnia bella, fames, incendia, eluvio-
nes, morbos & pestes avertere : si
omnes animi ærumnas, famæ dispen-
dia, urbium calamitates, familiarum
dissidia à genere humano arcere : si
inferendas ab Antichristo vexationes
propulsare, & succensos à Divina Ne-
mese altero in orbe rogos extinguere
posses, nefas foret vel semel mentiri.
Quin imò si levi iracundia omnes hæ-
reticos, Turcas & Gentiles ad fidem
convertere : si omnes damnatos ex
inferis, omnes animas ex purgantibus
flammis eximere : si omnes, qui mo-
dò vitam colunt, & terram adhuc in-
colent, mortales æternæ salutis secu-
ros reddere posses, tamen nec leviter
irasci liceret. Ita est : non liceret. Id
testantur, ac unanimi consensu affir-
mant omnes Ecclesiæ Patres, Theolo-
gi & Ascetæ.

Unde

(i) Job. 19. v. 24. & cap. 15. v. 16.

Unde sequitur, melius esse totum hoc universum sub finem mundi deciduo cœlis igne vastari, omnium regionum urbes conjurata ruina sus deque verti, denique reprobos ultricibus flammis per totam æternitatem cruciari, quàm unicam à nobis etiam leviozem culpam admitti. Et hoc certum est: dogma fidei est, de quo vel dubitare impium est. Nam omnia hæc non nisi nobis mala sunt; peccatum verò, etiam veniale, malum DEI est, quo is læditur, & contristatur. (1) Quantum ergo distat Creator à re-creata, tantum malitia hujus superat malignitatem alterius. Longè enim minus quid est res condita collata Conditori, quàm musca comparata homini. Ergo sicut minus malum est muscam occidi, quàm ab ea hominem molestiâ affici; ita quoque longè satius est, omnes procreatas res uno junctim exitio interire, quàm supremam DEI Majestatem tenui offensa violari.

Et

(1) Cornel. à Lapide & Salmeron Disp. II. in illum textum Eph. 4. v. 30. *Nolite contristare Spiritum Sanctum.*

Et tamen . . . *obstupescite cæli super hoc!* (m) & tamen reperire est . . . heu! horrore attonita, elinguis hæret vox . . . reperire, inquam, est non paucos, fors etiam Religiosos, qui usurpare audent tritum illud: est solum leve quid: non est nisi veniale. Vah! temerarias voces! Ah! nubes lucidæ sancta metamorphosi æreas in laminas vos condensate, ne impius earum sonus ad vindices stellas penetret.

Quid enim? ô viles vermiculi! ergone exiguum id malum sit, quod universi ruina & tartarorum pœnis quid pejus est? quo infidelium conversionem, damnatorum liberationem, vivorumque salutem licitari haud licet? Ergone id leve quid sit, quod universi excidio quid gravius est? Ubi quæso mens nostra, ubi ratio est? O quàm aliud de hujus portenti gravitate olim moribundi iudicium feremus!

II. Tanta minori etiam delicto malitia inest, tanto illud odio Dei Sanctitas

II.
Deus in-
credibili

*illud odio
aversa-
tur.*

tas execratur, ut si in Augustissima
Ejus Matre, aut dilectissimo hujus Fi-
lio vel unicum appareret, mox illa
imò & Natura humana Christi, soluta
unione hypostatica, ab irata Divini-
tate è vestigio coelis exturbarentur,
& excusso fulmine in piaculares rogos
præcipitarentur, tamdiu lustricis igni-
bus cruciandi, donec illam maculam
expurgassent. Nam (quod Spiritûs
Sancti oraculum est) *non intrabit in
eam* (nempe coelestem gloriam) *ali-
quod coinquinatum.* (n) Ergo nec ma-
culatum quid ibi vel momento subsi-
stere poterit. Eadem enim Numinis
Sanctitudo, quæ huic pesti ad cælos
aditum, eidem quoque omnem inibi
moram irrevocabili interdicto vetat.

Jam verò hîc subsiste ô levium
contemptor audax! ac attentius per-
pende, quis . . . quem . . . propter
quid . . . tam terribili supplicio affectu-
rus esset? nempe Pater æternus . . .
Filium unigenam . . . & ambo Dei-
param . . . ob unicam non nisi te-
nuem

(n) Apoc. 21. v. 27.

nuem noxam. Inde jam collige, quàm horrenda ergo hujus portenti malignitas sit, oportet; cùm tanto illud odio Pater in Filio, Filius in Matre, idque in tali Filio, taliq̃ue Matre aversetur, damnet, & excretur; & quidem tam æquus rerum arbiter, ipsa amoris sedes, & clementiæ thronus excretur. O peccatum veniale! heu! quàm abominandum es monstrum in oculis Divinæ Majestatis!

Et hinc Beati in cœlo, data optione, libentiùs suis é thronis in inferorum carcerem desilirent, nunquam illuc redituri, quàm ut unico ejusmodi navo se contaminent. Imò felicitati sibi ducerent, si sua in orcum amandatione unicum ejusmodi piaculum impedire possent. Et juré id quidem; majori enim injuria (ùt graves (o) Theologi censent,) Deum afficit unica ejusmodi labe, quàm omnium simul

(o) Petrus de Soto Libro de institutione Sacerdotum Lectione 18. de pœnitentia. Cujus Sententiam sequuntur multi Recentiores teste Lugone de Incarn. Disp. 5. Sect. 7. n. 122.

simul electorum æternæ laudes eundem honorent.

Hic ergo jam adeste, quicumque veniale per risum admittitis, hancque veritatem non populari trutina, sed *pondere Sanctuarii* (p) librate. En! tale DEus, Christus, Beati de hujus delicti gravitate judicium ferunt, quod vos ut leviusculum quid temerario desplicatu exploditis. O sidera! sola hujus culpæ memoria exanimantur Sancti: solo ejus aspectu conterrentur Angeli: sola illius umbra terrefit cœlorum Regina; & tamen hac aude vilis argilla Sacrosanctam Trinitatem quavis hora petulanter laceffere, & veluti rem nauci protervo contemptu exhibilare.

O Superi! ergone possibile est, ut solus homo minutum quid putet, quod omnis lingua cœlestium post lethale maximum in orbe malum esse uno ore profitetur? ergone fieri potest, ut Religiosus id nihili faciat,
de

(p) Levit. 5. v. 15.

de quo tamen Divinus Judex tam severam olim rationem exiget? O cæci Mortales! Ah! nihil leve est, quo summa læditur Majestas: nihil exiguum, quod summa reprobatur Sanctitas.

III. Verùm ut tantæ improbitatis abyssus, immixtis solaribus radiis, clariùs pateat, finge, centum milliones animarum, in statu puræ naturæ constitutos, ter mille annorum spatio immania tormenta insigni constantia patientissimè tolerare, ac insuper innumeros naturales virtutum actus, eosque intensissimos continenter exercere hunc solummodo ob finem, ut iratæ Nemesei pro unico tali errato condignum exsolvant litrum. Et en! frustra sunt: nihil hæc omnia possunt: omnes hi cruciatus & opera merè naturalia, utut optima, teste S. Thoma & Suario (q) minimè sufficiunt expiandæ ex æquo vel unicæ ejusmodi offensæ.

III.
Nulla pura creatura illud condigna satisfactione expiare potest.

Pars I.

B

Quin

(q) S. Thomas 3. p. q. 87. a. 3. ad 3. Suarez Tom. 1. in 3. p. Disp. 4. Sect. 9. §. prima ergo sententia. Quam communissimam esse dicit Viva de pœnitentia. Part. 8. Disp. 2. Quæst. 6. a. 1. n. 1.

Quin imò finge, cunctos Cœlites
 Divinæ Justitiæ throno supplici gestu
 advolvi, ut Eidem pro unico, à te pa-
 trato, minori piaculo æquali expiatio-
 ne satisfaciant. Finge, Seraphinos
 suum amorem, Patriarchas suam fi-
 dem, Prophetas suam fortitudinem,
 Apostolos suas prædicationes, Marty-
 res sanguinem, Virgines castimoniam,
 Episcopos zelum, Confessores pœni-
 tentiam, denique Matrem Dei omnem
 suam sanctitatem læsæ Divinitati ap-
 pendere ideo solùm, ut commissum à
 te tenuem nævum æquata purgatione
 deleant. Et en! incassum sunt omnia:
 irritus omnis labor est & conatus.
 Nam (ut docet (r) purpuratum Ec-
 clesiæ sidus) nemo etiam justus, &
 gratia superna instructus, peccatum ve-
 niale *alienum* condigna placatione di-
 luere

(r) Lugo de incarn. Disp. 5. Sect. 8. n. 154.
 Ejus ratio est, quia de facto Deus non remittit
 culpam etiam venialem, nisi per aliquem gradum
 gratiæ sanctificantis, quem ei infundit. Cùm au-
 tem purus homo non possit de facto acquirere alteri
 de condigno gratiam sanctificantem, neque potest sa-
 tisfacere de condigno pro culpa veniali alterius.
 ita Lugo.

luere valet. (s) Imò nec proprium posse acriter tuetur Soto cum aliis. (t)

Hic animi vires jam collige, quicunque ejusmodi maculis fordes, ac verborum vim sensumque perpende. En! tuum hoc, quod ridens effutis, mendacium: tua hæc, qua leviter excandescis, iracundia: tuus hic, quo orans languescis, tepor tantæ impietatis ac nequitiae monstrum est, ut nec illo cœlesti Seraphinorum Trisagio æternùm continuando, (u) nec illorum viginti quatuor Seniorum sempiternis laudibus, (x) nec per illa, *quæ sanctorum orationes sunt, odoramenta in phialis aureis perpetuò offerenda,* (y) pari satisfactione aboleri possit. Adeò virulenta in se, terribilis & execranda pestis est etiam tenuis offensio Numinis.

B 2

Hanc

(s) Lugo loc. cit. (t) Soto loco superiùs cit. cujus sententiam sequuntur multi Recentiores teste Lugone de incarn. Disp. s. Sect. 7. n. 122.
 (u) Isaïæ 6. v. 3. (x) Apoc. 4. v. 10.
 (y) Apoc. 4. v. 5.

Hanc veritatem ipse Deus Pater Beatam Catharinam Senensem docuit (utì legere est in ejus dialogis) addens, etiam huic peccato nequitiam quodammodo infinitam inesse; quia infinitum offendit Bonum. Hos autem dialogorum libros *cælestem doctrinam divinitus infusam* continere, declarârunt gemini Pontifices Christi que Vicarii Pius II. (z) & Urbanus VIII. (aa) Ipsa primæ Trinitatis Personæ verba hic retulisse, operæ pretium erit; cùm magnum dictis pondus addant; sunt autem hæc: *an ignoras filia mea, quod omnes pœnæ, quas anima sustinet, vel sustinere potest in presentì seculo, nullo modo condignæ sint ad culpam etiam minimam rite puniendam, vel expiandam? quoniam offensa, que mihi fit, qui sum Bonum infinitum, procul dubio satisfactionem exigit infinitam.* (bb) Omnia autem justorum, utì & Beatorum obsequia finita solummodo sunt ac circumscripti valoris. Ergo non sunt

(z) In Bulla Ejusdem Canonizationis. (aa) In Ejus officio divino lectione sexta. (bb) Lancicini opusc. Spirit, 10. c. 3.

sunt condigna, ad labem etiam levissimam ex æquo delendam.

O impiam igitur cæcitatem nostram! quibus hæc noxa tamen parvi momenti quid est; licet secundum probabilem Theologorum sententiam (cc) infinitate quadam malitiæ sca-teat, quæ nulla expiatione creata con-dignè abstergi possit.

IV. Præterea minuta hæc piacula sunt etiam causa cruciatuum ac mor-tis Christi. O *Angeli pacis* denuo *ama-re flete*, (dd) & iteratis gemitibus Di-vino funeri parentate. O peccator! audi! & contremisce. En! tua hæc, quæ ut minuta spernis, piacula sunt etiam causa cruciatuum & mortis Chri-sti. Nam (ut sacræ paginæ perhibent) *ipse vulneratus est propter iniquitates no-stras* etiam leves: *attritus est propter scelera nostra* etiam minora: (ee) *mor-tuus est pro peccatis nostris* etiam venia-libus;

IV.
Etiam est
causa cru-
ciatum,
& mortis
Christi.

(cc) Lanc. l. c. ubi id citatis pluribus Aucto-ribus tum Antiquioribus, tum Recentioribus ex instituto fusè probat. (dd) Isa. 33. v. 7. (ee) Isa. 53. v. 5. & 6.

libus; (ff) cùm pro his quoque æterno Patri per acerbam necem suam abundanti solutione satisfecerit.

Ita est ô peccatrix anima! *vulneratus est* Agnus ille immaculatus etiam propter illas tuas locutiones vanas, mendaces, otiosas. *Attritus est* etiam propter illam tuam irreverentem, tepidam, distractamque orationem. *Cum sceleratis reputatus est* (gg) etiam propter illas tuas vanitates, invidias, detractiones, superbias & æmulationes. Verbô: *pertulit in corpore suo* (hh) pœnas criminibus tuis etiam leviusculis debitas.

Quoties igitur (heu! concussa tremant fundamenta terræ!) quoties, inquam, licet leviter solum peccasti, toties posuisti id, quod aliqua ex parte fuit causa dolorum ac vulnerum Christi. Toties patrasti illud delictum, quod eundem unâ cum lethalibus erratis funibus vinxit, catenis oneravit, flagel-

(ff) 1. Cor. 15. v. 4. (gg) Isa. 53. v. 12.
(hh) 1. Petr. 2. v. 24.

flagellis discerpfit, spinis cruentavit,
ac denique sacrilega tyrannide in fur-
cam egit. Age jam, ad hæc quæ ti-
bi mens? . . . ô infelix! hæc audis,
nec tamen peccatum hoc execraris?
audita etiam credis, nec tamen pectus
tibi præ mæroris vehementia in frustra
dissilit? O utinam modò cor faxeum
tibi foret, ut pariter medium cum il-
lis Solymæ petris diffinderetur!

At nondum hîc sistit hujus vitii im-
probitas; necdum quiescit ejus Divino
sanguine ingurgitatus furor; cùm illa
feralis tragædia, cujus causa olim *ob-*
scuratus est sol, monumenta aperta sunt,
& velum templi scissum est, (ii) no-
stro etiam tempore, repetita rabie, in-
stauretur. Nam sicut Salvator no-
ster, docente Gentium Doctore Paulo,
(11) per lethale crimen cruci denuo
affigitur, ita ex mente SS. Patrum
per veniale rursus conspuitur, velli-
catur, illuditur.

B 4

O rem

(ii) Luc. 23. v. 45. & Matth. 27. v. 52.

(11) Hebr. 6. v. 6.

O rem detestandam, ac vel auditu
terrificam! Ah! Divinus Servator per
veniale rursus conspuitur, vellicatur,
illudicitur. Id asserunt Ecclesiæ Patres.
Et ausit humana temeritas ejusmodi
culpam leve quid dicere? O Cœlites!
ergone leve quid sit, venerandam Chri-
sti faciem sputis fœdare, colaphis cæ-
dere, crinibus vellere? O mi JESU!
ergone tibi insultare, probraingere,
ostentui te habere, parum quid,
imò nihil sit? & hoc Christianis? . . .
O fulmina! quæ manus vos, quæ nu-
bes morantur?

O Filii hominum mendaces in stateris,
(mm) *qui dicitis malum bonum, & bo-*
num malum: ponentes tenebras lucem, &
lucem tenebras; (nn) ut quid ô miseri!
ut quid diligitis, imò & queritis men-
dacium? (oo) Ah! tandem aliquan-
do tot oraculis fidem habete, uno
ore enunciantibus, magnum in se, &
ingens omnino malum esse piaculum
etiam parvum, quod tamen non rarò
(ô portæ

(mm) Psal. 61. v. 10. (nn) Isa. 5. v. 20.
(oo) Psal. 4. v. 3.

(ô portæ cæli desolaminî vehementer!)
 (pp) quod, inquam, non rarò etiam
 Religiosi, quin & Sacerdotes sine hor-
 rore, sine metu, joci causa ridentes
 perpetrant. At væ! qui trahitis ini-
 quitatem hanc in funiculis vanitatis,
 & quasi vinculum plaustrî peccatum leve.
 (qq) Væ vobis! quia vindex ultio ve-
 niens veniet, & non tardabit. (rr)

O Domine! exitus aquarum dedu-
 cant oculi mei, (ss) ut jugi dolore de-
 fleam, quæ super capillos capitis (tt)
 accumulavi delicta. Peccavi! & ma-
 lum, malum grande (uu) nimis, etiam
 venialiter peccando coram te feci. (xx)
 Sed doleo, & intimo corde doleo ob
 solum tui amorem. . . Territus enor-
 mi gravitate hujus culpæ, stat ani-
 mum ea haud ampliùs saltem ple-
 no cum assensu contaminare. *Vivit*
DEUS, in cujus conspectu sto; quia do-
nec superest halitus in me, & Spiritus
DEI in naribus meis, non loquentur la-

B 5

bia

(pp) Jerem. 2. v. 12. (qq.) Isa. 5. v. 18.
 (rr) Habac. 2. v. 3. (ss) Jerem. 9. v. 1.
 (tt) Psal. 118. v. 136. (uu) Ezech. 16. v. 10.
 (xx) Psal. 50. v. 6.

bia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. (yy) Potius omnia perdam bona, & feram mala, quàm ut denuo etiam leviter delinquam in animam meam. (zz) Verùm cum ex me nihil possim, nisi peccare, & perire, confirma hoc DEUS, quod operatus es in me; (aaa) & quod dedisti velle, da & perficere. (bbb)

§. II.

*Malitia peccati venialis considerata
in suis sequelis.*

I.
*Actus vir-
tutum cor-
rumpit.*

I. **M**AGNUM præterea malum est ejus-
modi culpa in suis effectibus.
Nam imprimis peccata venialia actus
virtutum corrumpunt, dum eos ve-
nenata aspergine ita inficiunt, ut illis
(quæ plurimum Theologorum concors
opinio est) superni ordinis celsitate de-
jectis, cœlestem vim omnem merendi
adimant penitus, auferantque; cum
sint illæ *musca morientes*, quæ teste
Eccle-

(yy) Job. 27. v. 3. & seq. (zz) Eccli. 19.
v. 4. (aaa) Psal. 67. v. 29. (bbb) August.
Serm. 256, de tempore.

Ecclesiaste perdunt suavitatem unguenti. (a)

Primum huic asserto fundamentum præbet illa Christi admonitio Matthæi 6. v. 1. dicentis: *attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis; alioquin mercedem non habebitis apud patrem, qui in cælis est.* Quibus verbis Divinus Magister apertè insinuat, justitiam ex vana gloria exercitam carere æterna mercede. Cùm autem inanis ejusmodi gloriola leve solummodo piaculum sit, (b) jure infertur: ergo actus tali noxa infectus omni merito præmioque funditus exuitur, privaturque, ita quidem, ut testante Hieronymo, *martyrium ipsum, si ideo fiat, ut admirationem & laudem à fratribus habeamus, frustra sanguis effusus sit.* (c)

Idem

(a) Eccles. 10. v. 1. (b) Quod ibi Christus loquatur de vana gloria solum leviter culpabili docet S. Thomas 2. 2. q. 132 a 3. ad 1. item Tournely tract. de act. hum. cap. 6. sect. 2. Concl. 1. ubi is insuper docet, circumstantiam finis venialiter mali totum virtutis actum penitus corrumpere. (c) In cap. 1. Epist. ad Galat.

Idem expressè docet Theologorum
 phœbus Aquinas, 2. 2. q. 132. a. 3.
 ad. 1. ita differens: *opus virtuosum amit-*
tit vim merendi vitam æternam, si pro-
pter inanem gloriam fiat, etiamsi illa ina-
nis gloria non sit peccatum mortale. Quam
eandem doctrinam in 2. dist. 38. q. 1.
a. 4. tradit, cum aliquis, inquit, vult
dare eleemosynam propter inanem gloriam,
hic est unus actus voluntatis, & hic actus
totus est malus, licet non ab omni eo,
quod in eo est, malitiam habeat.

Adeoq̄ue licet ejusmodi actio non
 ab omni eo, quod in ea est, malitiam ha-
 beat; id est, licet adhuc bona sit se-
 cundum quid; (ut scholæ loquuntur)
 tamen quia non est bona simpliciter
 & secundum omnia rerum adjuncta,
 ex mente S. Doctoris non est merito-
 ria cœlestis gratiæ nec felicitatis æter-
 næ. Quod enim ejusmodi trunca bo-
 nitas minimè sufficiat ad superam me-
 rendi vim; sed quod actus ex omni-
 bus & singulis, quæ confluunt, cir-
 cumstantiis bonus esse oporteat, post
 Angelicum docent gravissimi Theolo-
 gi.

gi. (d) Et ex his abunde constat, venialem navum omnem virtutis actum, communicata lue, penitus inficere, perdereque; seque habere instar fermenti, quod totam, cui injicitur, farinae massam corrumpit.

Proin ô bone! licet mysticæ contemplationi assiduè intentus viveres, summas opes in egenos profunderes, corpus variis cruciatibus emaciaris. licet morum modestia angelum, concionandi ardore Seraphinum, in sacro tribunali charitate Samaritanum vinceris, ac heroica indentidem patientiæ, demissionis & obedientiæ facinora patrares; nihilominus ista, si vel modica veniali labe fuerint infecta; si
in

(d) S. Thom. 2. 2. q. 110. a 3. in C. ubi sic: *quia ad hoc quod aliquid sit bonum, requiritur, quod omnia rectè concurrant. Bonum enim est ex integra causa; malum verò est ex singularibus defectibus, ut dicit Dionysius cap. 4. de divinis nominibus.* Item 1. 2. q. 89. a. 1. ait: *peccatum veniale impedit actus virtutum.* Gonet. Disp. 4. a. 1. Rhodes Disp. 4. sect. 3. §. 2. Antoine tract. de act. hum. c. 3. a 3. Gervasius Brisacensis part. 3. tract. 1. de act. hum. Disp. 2. q. 1. a 3. Lancicius opuscul. 16. N. 73. Sylvester & alii; contra Lugonem,

in ea amor proprius, commoditatis studium, aut vana mentis gloriola subdolo pede vel tantillum irreperit, actum est de eorum pretio ac dignitate. Mox omnes hi actus degeneri germine ex virtutibus, quæ esse potuissent, in vitia turpiter abeunt, non nisi castigatione digna. Et quamvis purissimam intentionem tuis operibus tempore matutino præmisisses, hacque industria ipsum etiam residuæ diei plumbum providè inaurâsses; si tamen postea vel unicus talis intercesserit nævus, mox reliqua omnia, abrupto protinus filo, præmio vacua erunt, & inania omnino, ac cassa vilescunt.

Nam (ut bene docet S. Chryso-
stomus) *nil potest simul esse meritum & de-
lictum; (e) utque actio sit mala (verba
sunt Aquinatis) sufficit, ut aliquid de-
sit; cum bonum sit ex integra causa. (f)*
Quid autem illi actioni non deerit,
quæ tali macula sordet? Unde sequi-
tur, ejusmodi corruptos pietatis actus
nec

(e) Hom. 30. ad pop. (f) 1. 2. q. 18.
2. 3. ad 3. Item 2. 2. q. 110. a 3. C.

nec meritorios esse nec supernos; cùm veniale, æmulando illum *vermem*, qui percussit *hederam Jona*, (g) ipsam pariter boni radicem asperfo toxico enecet, corrodátque; ac *instar locustæ ac bruchæ comedat omnem fructum*, (h) aliàs ex sanctioribus nostris operibus sub vitæ autumno decerpendum.

Jam age, ô anima! æquitatis tribunal conscende, & promeritam inde in reum, quem tibi sisto, sententiam pronuncia. En! servus hic tuus, infusa fellis gutta, plurimos mellis cados vitiauit: summi valoris monetam, immixta furtim scoria, adulteravit; suisque artibus ac dolis impedimento fuit, ne in singulos dies centum millia aureorum lucrareris. Edic: quid supplicii hunc meruisse jam censes? Vah! reus est mortis, exclamas, omniq̃ue odio ac execratione dignus. At ecce! offensa levis est ille prædo, qui tot gemmas ex tua cœlesti corona excussit: tot beatis æternitatibus te privavit, quot actus virtutum sua vafrutie infecit, destruxit, ac depravavit. Et
hunc

(g) Jon. 4. v. 6. (h) Ps. 104. v. 34.

hunc latronem odisse non queas? quin & amare, tueri, fovere possis? Apage tantam impietatem! potius decreto illi exilio, omnis ad mentem aditus ei æternùm à te sit interdictus.

II. II. Verùm his non contenta, plus
Charitatis ultra serpit levioris noxæ perversitas;
fervorem alia adhuc sunt, quæ inducit, nocu-
diminuit. menta. Nam non solùm corrumpit hæc pestis supernos omnes probitatis actus, ac invida calliditate impedit augmentum omne meritorum; sed insuper (ut nobis auctor est Angelicus Doctor) *diminuit fervorem charitatis*, (i) criticum in Dei servitio languorem inducendo, creandoque rerum æternarum insolens fastidium, quod tandem ipsi divino cordi nauseam movet.

Et hinc B. Laurentius Justinianus monet, *servo DEI etiam parva esse vitanda delicta, ne charitas refrigescat*, (1) ac animum occupet lethalis torpor; cùm etiam Religiosi (ut ait D. Anselmus) *per modicarum contemptum cul-*
parum

(1) 3. p. q. 79. a. 4. ad 1, (1) Vitæ cap. 2

parum paulatim à fervore suo deficient, (m) & in teporem prolabantur. Teporem autem dum nomino, heu! monstrum nuncupo, quod tum ob malignitatem, qua scatet: tum ob damna, quæ gignit, venenata malorum Lerna jure appellatur.

In hanc verò nos sensim per minores quoque labes præcipitari, tristis experientia assiduè docet. Nam animo concipe hominem, ejusmodi nævos temerè committentem; & en! omnia in ejus corde torpido languore marcescent: fatiscunt opera pietatis, languent studia virtutis, torpebunt exercitia voluntariæ afflictationis. Nihil arduum aggredietur mens, exiguus erit in coeptis conatus, & similis conatui sequetur effectus; nempe vel nullus vel admodum imperfectus. Non sapiet nisi terrena, coelestia cum fastidio audiet, tædium sentiet in oratione, horrorem ab appetituum coërcitione, nauseam in rerum spiritualium exercitatione. Contrà verò ad opposita his

Pars I.

C

vitia,

vicia, præcipuè ad carnis commoda, sensuumque illecebras toto pondere ferri se experietur. Quis ergo inficias ibit, per ista charitatis fervorem diminui, attenuari, restingui?

Quis verò hujus nocumenti malignitatem sat vivis coloribus adumbrabit? nam *diffusa in cordibus nostris charitas*, (n) seu immanens gratia tantæ excellentiæ bonum est, ut dignitate, pretio ac utilitate omnibus aliis ingenti intercapedine antecellat. Hujus autem teste S. Thoma (ô natæ coelis animæ ad damni, quæso, gravitatem attendite!) hujus, inquam, tanti tamque eminentis boni *diminutio dispositive & indirectè fit per peccata venialia*. (o) Non quod per illa cælestis gratia (c) am sanctificantem vocant) ex anima statim expellatur, aut quasi ea gradatim imminuta decrescat; sed quia immisso in animum tepore ejus augmentum impediunt, utque etiam illa tandem perdatur, pedetentim disponunt; uti tradit Aquinas his verbis:

quam-

(n) Rom. 5. v. 5. (o) 2. 2. q. 24. a. 10. C.

quamquam charitas secundum se ac directè nullatenus diminui possit; dispositivè tamen & indirectè per venialia peccata diminutionem admittit. (p) Licet enim charitatis lampades cœlesti Sponso sint lampades ignis atque flammarum; (q) tamen si his venialium arenam copiosius injicias, sensim restingui eas, ac emori necesse est. Ad hæc autem quis non cohorrescat?

III. Imò, ut docere pergit Theologorum Phœbus, hoc genus culparum aliquo modo separat animam à DEO, voluntas hominis ob immoderatam conversionem ad bonum creatum. (r) O verè sententiam terrore plenam! quid gravius, obsecro, quid aptius dici possit, ad incutiendum nobis hujus mali horrorem? O amans Numinis mens! en! noxa levis te non quidem penitus, aliquo tamen modo separat à DEO: te saltem aliquatenus abstrahit ab ejus paterno sinu, teque ex providis ejus bra-

C 2

chiis

(p) Ibidem.
P. q. 87. a. 1. C.

(q) Cant. 8. v. 6.

(r) 3.

chiis aliqua minimùm ratione avellit, dimovétque; dum te indignum reddit illa singulari providentia ac amore benevolo, quo is mala avertit, bona immittit, & peculiari affectu curat, *ut justis omnia cooperentur in bonum.* (s)

Hoc autem scuto exuta, quid ages, ô misera! Ah! hostium telis nuda patebis, & irruentibus undique tentationibus exposita, in omnem casum prona nutabis. Hujus quidem periculi magnitudinem & beneficii jacturam modò nihil admodum curas; quia tristes illius sequelas & hujus inestimabile pretium parum oppidò ponderas; sed væ tibi! si id in altero primùm orbe docearis. Enimvero vel stupidus sit, vel amens oportet, cui ista hujus vitii odium non creant. Stupidus quidem, si tam immanium nocumentorum malitiam non agnoscit; amens autem, si ea cognita tamen veniale non timet, fugit, horret.

Præcipuè cùm insuper animam turpiter fædet, ac in oculis Divinæ Majestatis

(s) Rom. 8, v. 28.

jestatis valde deformem, fœdam ac detestabilem reddat. Nam exigui etiam nœvi à S. Basilio *sordibus comparantur, quæ animi splendorem exterminant, & nativo ejus decori officiunt.* (t) S. Augustinus eos appellat *scabiem, nostrum decus ita exterminantem, ut ab illius sponsi, qui speciosus forma præ filiis hominum est, castissimis amplexibus separant.* Cæsario Arelatensi sunt *pustulæ, quæ quidem animam non occidunt; sed eam tamen quasi horrenda lepra repletam, summopere deformant.* (u) Bernardo Abbati *minima quælibet inobedientia turpis macula est.* (x) His similia habent Gregorius Magnus, (y) Leo Papa, (z) aliiq̄ue Patrum. Ut proin triplici ære circa pectus is rigeat necesse est, quem ista hujus monstri horrore non complent; quiq̄ue non ultro fatetur, magnum id malum esse ob tam noxios, quos gignit, effectus.

Heu! maculæ, sordes, pustulæ, scabies hæc piacula sunt, animam tetrum

C 3

in

(t) In cap. 4. Isa. (u) Hom. 8. (x) Serm. de triplici custodia. (y) In cap. 5, cant. (z) Serm. 4. quadrag.

in modum deturpantia; & tamen iis mentem pro re nauci omni ex parte commaculamus! O mortales! tam enorme etiam unicum est tale delictum, ut maluerit Catharina Genuensis, se vivam in succensam fornacem conjicere: (aa) Anselmus se in orcum demergere, (bb) Chrysoſtomus à Cacadamone possideri, (cc) quàm vel unico ex illis minoribus erratis se contaminare, quæ nos in cordis penetralia, patienti porta, turmatim tam faciles admittimus.

O coeli! ex sententia Patrum minus damnum est à dæmone nos insideri,
COR-

(aa) Vitæ cap. 12. ubi sic loquitur: certum habe, quod si quis cerneret, quàm enorme unum tantum peccatum sit, potius eligeret, anima, & corpore in succensa fornace vivus consistere, quàm in se peccatum tolerare. Et si universum mare ignis esset, ad effugiendum peccatum se in medium ejus usque ad fundum demergeret, neque inde unquam prodiret, si sciret, quod prodians, peccatum esset in se conspecturus. (bb) V. de simil. n. 190. ubi ait: Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum haberem immergi, prius me in infernum immergerem, quàm peccatum in me committerem. (cc) Hom. 28. in Ep. ad Rom. & Hom. 29. ad pop.

corpus dirissimè cruciari, animam tartarorum incendiis torqueri, quàm eam veniali labe fædari. Et nos tamen has offensiones arenæ instar in acervos accumulamus; nihil solliciti, ne tandem earum mole etiam miseri opprimamur; licèt hic consuetus sit, isque terribilissimus, quem hæc pestis procreat, effectus. Cùm ex mente Theologorum (dd) variis modis deducatur ad lethalem noxam, adeoque ad inferos.

IV. O effectum terribilem! Audi ^{IV.}
 ô peccator! quisquis hæc piacula su- ^{Ad lethalem nox-}
 perbo risu explodis; audi, inquam, ^{am disponit.}
 effatum S. Thomæ Aquinatis, & con-
 tremisce: homo, ait, *multoties peccan-*
do venialiter disponetur ad peccatum mor-
 C 4 *tale,*

(dd) Nempe 1. minuendo timorem DEI. 2. inducendo rerum Religiosarum neglectum. 3. impediendo peculiaria quædam gratiæ cœlestis auxilia, quibus alioquin homo efficaciter à labe mortifera servatus fuisset. 4. Generando habitum, quo animus per iteratos in eadem materia minutos lapsus sensim inclinatur ad patranda etiam majora ejusdem speciei delicta. Vide Tannerum 1. 2. Disp. 4. q. 5. dub. 3. n. 55. & 56. Lessium L. 13. de perfectione, divin. c. 15. n. 23.

tale, (ee) quod ipsum S. Doctor eodem articulo quinque repetit, & de-
nuo alibi (ff) clarissimis inculcat ver-
bis, duces secutus illustria orbis sidera
Augustinum, (gg) Chrysoftomum,
(hh) Isidorum, (ii) Damascenum,
(ll) & Gregorium magnum, (mm)
concordi oratione idem alleverantes.

Itaque (heu! trepidate piæ mentes!)
itaque ex mente sanctorum Ecclesiæ
Doctorum, quin imò ipso etiam illo
Divi-

(ee) 1. 2. q. 88. a. 3. C. (ff) 2. 2. q. 48.
a. 7. ad 5. ubi ait: *Quamvis per peccatum veniale
gratia non tollatur, per quam est hominis salus, di-
sponit tamen ad mortale; & sic vergit in detrimen-
tum salutis.* (gg) Serm. 28. de tempore. ubi:
*dum homines negligenter despiciunt peccata sua, quæ
parva sunt, crescentibus minutis peccatis, addun-
tur etiam crimina, quæ cumulum faciunt, & de-
mergunt.* (hh) In cap. 1. Galat. ubi: *Quemad-
modum in corporibus vulnere quæ homines neglexe-
runt, febres gignunt, & putrefactiones, ac mor-
tem denique; itidem in animis, qui pusilla dissimu-
lant, majora invitant.* (ii) Isidor. Hispalensis
L. 2. sent. c. 19. *Contemptu minorum peccatorum
majora committuntur.* (ll) C. 19. in vita Barla-
am, & Josaphat, ubi: *Qui minima vitia, & pec-
cata nihili pendunt, graviora sibi invehunt.* (mm)
L. 31. mor. c. 9. al. 12. *In unoquoque lapsu à mi-
nimis semper incipitur, & succrescentibus defectibus
ad graviora devenitur,*

Divini Spiritûs oraculo: *qui spernit modica, paulatim decidet*, veniale disponit ad lethale. (nn) Enimvero cui hoc fulmen hujus mali horrorem non incutit, is ruinæ proximus est. Nemo repente fit pessimus; quisquis damnatus est, is primò per leviora tanquam per gradus ad graviora, & inde ad tartara descendit. Verbò: damnatio æterna sæpe ex unico minori nãvo tristi serie dependet. Non quasi ipse stygis incendia mereretur; sed quia deducit ad mortifera æternis ignibus digna.

Exemplo sit S. Theresia, quæ perpetuis cruciatibus addicta fuisset, nisi tenuem defectum vitâsset. Licèt enim illa (utì ipsa de se scribit) *nullum unquam affectum habuerit ad ullum grave peccatum, & ab inhonestis naturaliter abhorruerit; & licèt nunquam à DEO fuerit separata per culpam mortalem; nihilominus ob otiosas & letas conversationes cum aliis immaturæ etatis & virtutis hominibus institutas, orans invenit*

C s

se

se positam in inferno, ibique vidit locum, quem ei demones præparaverant, (oo) & quò pervenisset, nisi hunc errorem correxisset.

O Cœlites! tantilla labecula tam sanctam Virginem paulatim præcipitâsse in orcum! quid ergo agent tot alii nostri longè magis periculosi defectus? Quis ergo sibi ab ejusmodi maculis non timeat? O Religiose! fortè ex illa tua socordia in surgendo, ex illo tepore in orando, ex illa liberiori curiositate, aut lubrica familiaritate, ex illo respectu humano dependet tua perditio. Certè non minora hæc sunt ac illæ otiosæ collocutiones Divæ Theresiæ.

Nec dicas: fortassis non dependet beatitas mea ab exilibus ejusmodi rebus; nam fortassis dependet. Ergone incerto eventui æternitatem, animam, cœlum expones? Profectò si S. Theresia sic argutata fuisset, miserè decepta æternùm periisset. Quod ergo S. There-

(oo) In ejus vita ab ipsamet conscripta c. 2. & 32. Item Lancicius opusc. 16. c. 4. n. 58. & seq.

Theresiæ accidisset, cur nobis evenire non possit? Væ ergo nobis! si pusillas labes contemnere pergamus. Nam fortè ex illo ipso delicto, quod modò ut leviusculum spernimus, nostra pariter beatitudo dependet.

Vah! improvidam levitatem nostram! ut mortem caveamus, etiam ab iis abstinemus, quæ morbos creare solent. Et interim exigua piacula pleno haustu abligurimus; licèt per ea plano pede deducamur ad mortifera. Pudeat nos tandem aliquando, majorem gerere corporis, quàm animæ curam; ne admissum errorem etiam nos olim apud inferos deplorare cogamur. Proin timeamus, ac etiam venialia sollicitudine summa fugiamus. Viperarum enim genimina sunt, quæ si crescere sinantur, animæ lethales ictus certò infligent.

Heu! *vita mea inferno appropinquavit; & nescivi!* (pp) Ad orci marginem per hæc minuta deductum jam-
jam

jam afflaverat inde ascendens fumus tormentorum; (qq) & neglexi! Ah! nisi tu Domine! adjuvisses me, per illa leviora in gravia fors pridem lapsus, jam habitarem cum igne devorante; cum ardoribus sempiternis. (rr) Verum ô custos hominum! (ss) qui odisti iniquitatem etiam tenuem, (tt) operi manuum tuarum porrige dexteram, (uu) & de portis mortis (xx) abstractum, deduc me super semitas justitiæ, (yy) ut ambulem in eis, declinando â malo etiam parvo. Ante januam cordis mei colloca Cherubim, habentem flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam; (zz) ne ad illud his vulpibus parvulis, qua demoliuntur mentium vineas, (vv) ullus posthac accessus pateat.



§. III.

-
- (qq) Apoc. 14. v. 12. (rr) Isa. 33. v. 14.
 (ss) Job. 7. v. 20. (tt) Ps. 44. v. 8.
 (uu) Job. 14. v. 15. (xx) Ps. 9. v. 15.
 (yy) Ps. 22. v. 3. (zz) Gen. 3. v. 24. (vv)
 Cant. 2. v. 15.

§. III.

*Malitia peccati venialis considerata
in suis suppliciis.*

I. **D**enique peccatum veniale est ma-
lum magnum in suis, ^{l.} *Quis tum*
tum in hoc orbe, tum in altero mul- *in hoc*
tatur poenis. Quam severa castiga- *orbe,*
tione vindex Numen hoc culpæ genus
in hoc adhuc mundo punire consue-
verit, documento nobis est *dilectus*
DEO, & hominibus Moyses; (a) ille,
inquam, Moyses, *quocum loquebatur*
Dominus facie ad faciem, sicut loqui solet
homo ad amicum suum: (b) quem *simi-*
lem fecit in gloria Sanctorum, glorificavit
in conspectu Regum, (c) *constituitque*
DEUM Pharaonis, (d) & cui *similis pro-*
pheta non surrexit ultra in Israël. (e)

Hic, inquam, *Principum Princeps &*
Sacerdotum Sacerdos Moyses, (f) qui, ut
ait Ambrosius, *victor passionum omnium,*
nec

(a) Eccl. 45. v. 1. (b) Exod. 33. v. 11.
(c) Ecclesi. 45. v. 1. & seq. (d) Exod. 7. v. 1.
(e) Deut. 10, v. 19. (f) Gregor. Nazianz.
orat. 22.

nec ullis seculi captus illecebris, cœlestis puritate conversationis ad DEI similitudinem se perfectæ virtutis ubertate formaverat; (g) Hic (obstupescite ô cœli!) ob levem diffidentiam, quam tamen non nisi venialem noxam fuisse Auctorum (h) plurimi gravissimique testantur) ob levem, inquam, dubitationem & diffidentiam, qua *percutiens bis virga silicem* (i) teste Augustino (l) timidus hæsitabat, an non forsitan ob scelera populi, promissa divinitus, aqua foret neganda? hic propterea... ah stupet lingua! ab irata Divinitatis Majestate audire debuit tremendum illud feralis sententiæ fulmen: *Ascende in montem Nebo, & morere in monte.* (m) *Non introduces hos populos in terram, quam dabo eis.* (n) *Videbis quidem terram; at non ingredieris in eam;* (o) sed
 junte-

(g) Ambros. lib. 1. de Cain & Abel c. 22.
 (h) Aug. Tom. 4. q. 53. in lib. Num. Abulensis q. 5. & 14. in c. 20. Num. Bellarm. Serm. 5. de Just. Dei. Lorinus, Cornelius, Bonfrerius, Tyrinus inc. 20. Num. & plures alii citati à Lancicio opusc. 16. c. 7. n. 121. (i) Num. 20. v. 11.
 (l) Q. 19. in Num. (m) Deut. 32. v. 49.
 (n) Num. 20. v. 10. (o) Deut. 32. v. 52.

jungeris populis tuis. (p) *Ascenditque Moyses, & mortuus est ibi.* (q) Adeò nullam tonantis jussa ferebant moram.

O fatum triste! hìc jam *ulula abies, quia cecidit cedrus.* (r) Et quidem cecidit ipsa Numinis excisa manu, in confiniis promissæ regionis, oculis jamjam usurpans, totoque mentis affectu amplexans terram, ah terram! *lacte & melle manantem:* (s) terram tot votis optatam, tot annis quæsitam, tot laboribus ac ærumnis inventam; idque ob unicum, heu! unicum tamque exile piaculum. Et cecidit (quod stupendum!) inter plurima, quæ supplicium hoc aggravabant, rerum adjuncta.

Nam, ne Moyses iram Nemesis suis precibus mitigaret, DEUS, ne rogarer, vetuit, dicens ei: *nequaquam ultra loquaris de hac re ad me:* (t) ne ille spe veniæ dolorem solaretur, immutabile

(p) Deut. 32. v. 50. (q) Deut. 34. v. 1. & 5. (r) Zach. 11. v. 2. (s) Deut. 6. v. 3. (t) Deut. 3. v. 26.

tabile Numen latam mortis sententiam jurejurando firmavit: *juravit, ut non transirem Jordanem; (u)* utque vulnus exulceraretur, etiam æmulus nominabatur, qui ejus loco *terram Iſraëliſi ſorte diviſurus eſſet: non tu ingredieris illuc, ſed Joſue, & quidem Joſue Miniſter tuus, ipſe intrabit pro te. (x)* denique ad augendam multæ acerbicatem, *cacumen Phasgæ aſcendere, & oculos ad Occidentem, & ad Aquilonem, Auſtrumque & Orientem circumferre (y)* jubetur cum dicto: *hæc eſt terra, pro qua juravi Abraham, Iſaac & Jacob: vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. (z)* O graves profectò, quæ hoc funus circumſtant, animi plagæ! ô verba acerbo ſenſu pleniffima! *vidisti, & non transibis: non tu, ſed Joſue Miniſter tuus ipſe intrabit pro te.*

Ah! *ne, quaſo, indigneris Domine, ſi loquar ad te, cum ſim pulvis & cinis.*
 (aa) En! fervus hic tuus, quem ob
 tenuem

(u) Deut. 4. v. 21. (x) Deut. 1. v. 37. & 38. (y) Deut. 3. v. 27. (z) Deut. 34. v. 52.
 (aa) Gen. 18. v. 27. & 30.

tenuem ad eò culpam tanta affligis pœna, est ille Moyſes, qui negavit ſe eſſe filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo DEI, quàm temporalis peccatù habere jucunditatem: (bb) qui arripſit vitulum aureum combuſſit, & contrivit uſque ad pulverem: (cc) de cujus ſpiritu tulſti, ut ſeptuaginta Rectoribus communicares. (dd) Eſt ille Moyſes, qui erat vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra, (ee) quadraginta annorum ſpatio tres milliones hominum, & quidem duræ cervicis hominum, inſigni patientia ſuſtinens: qui calumniis laceſſitus, opprobriis irritatus, lapidibus appetitus, tamen læſam dignitatem non ſolùm non vindicavit, ſed inſuper pro rebellibus eo ardore interceſſit, ut exclamârit: *aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro, quem ſcripſiſti.* (ff) Eſt denique ille Moyſes, quem ipſe tu *ſervum tuum in omni domo tua fideliffimum* vocâſti, (gg)

Pars I.

D

&

(bb) Hebr. 11. v. 24. (cc) Exod. 32. v. 20. (dd) Gregor. M. 2. part. Pastoral. c. 5. Item Num. 11. v. 17. (ee) Num. 12. v. 3. (ff) Exod. 32. v. 32. (gg) Num. 12. v. 7.

& hic, ô *DEus clemens!* (hh) hic talis, tantusque Propheta â Te,
 cujus misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus, ob unicam hanc offensiunculam nullam veniæ gratiam, imò nec castigationis prolationem mereatur? soline ergo illi non parcas, qui toties â te, ut aliis parceres, impetravit? memento, quæso, memento Domine mansuetudinis tuæ!

At frustra sum: *juravit Dominus, & facti non pœnitebit eum.* (ii) Fixum est; his insuper habitis, moriendum Moyfi, viro tot miraculis claro, tot meritis illustri, tot virtutibus prædito; moriendumque ob modicum adeò nævum; & quidem in monte Nebo; unde tristis, qui dolorem exasperaret, prospectus in subjectam promissionis terram patebat. Ut nempe posterius ex supplicii magnitudine venialis offensæ gravitatem metirentur.

Heu!

Heu! miseros nos! *si hæc in viridz ligno, in arido quid fiet?* (ll) Si hæc Moyfi, & quidem ob unicum, eumque tam parvum errorem, quid nobis eveniet? nobis? . . . qui tot, tamque maligna indies accumulamus delicta? O Superi! (exclamat Sanctus Basilius) *cum videam Moysen summum illum veri DEI cultorem veniam deprecari, nec tamen consequi; cum videam huic post tot, tamque egregia facta nullam veniam dari, planè perspicio, illam severitatem Cæli, quam describit Apostolus in sua ad Romanos epistola, dicens: time: si enim Dominus naturalibus ramis non pepercit, time, ne fortè nec tibi parcat.* (mm) idque eò amplius time, cum ultori DEO frequens sit, in hoc mundi theatro ejusmodi tragedias orbi spectandas dare.

Fugacem solummodo mentis obtutum in obvias Syriae plagas defige, & multiplex mortis scena mox lumina feriet. Hic enim videbis septuaginta duo millia virorum peste consumptorum;

D 2

rum;

(ll) Luc. 23. v. 31. (mm) Orat. 3. de peccato.

rum ; (nn) ibi quinquaginta millia Bethfamarum repentina nece punitorum ; (oo) illic omnes thesauros domûs DEI, & domûs regiae, omnem Jerusalem, & omnes fortes exercitûs, ipsum Regem cum matre, uxoribus & liberis in captivitatem de Jerusalem in Babylonem (pp) abduci cernes, abstrahique.

Jam verò in hos cadaverum cumulos, in illas Solymæ ruinas, in hæc captivorum agmina si oculi intendantur; si tot viduarum, ac pupillorum lacrymæ, & lamenta attendantur; an non jure suspicari quis posset, Hebræos denuo vel vitulos adorâsse? vel rebelles contra Dominum murmurâsse? aut iterata temeritate gravissimas leges conculcâsse? vel certè alia quæpiam gravioris notæ facinora perpetrâsse, quæis cœlestes iras adeò exasperârint?

Et en! non nisi levis superbia Davidis, vana ostentatio Ezechia, præceps irreve-

(nn) 2. Reg. 24. v. 15. (oo) 1. Reg. 6. v. 19.
 (pp) 4. Reg. 24. v. 13, & 15.

irreverentia Bethsamitarum tot calamitatum, tantæque stragis unicus fons & origo fuit. Quæ tamen piacula solùm venialia fuisse Auctores communiùs antumant; (qq) *misit enim Dominus pestilentiam in Israël*; (rr) quia David jusserat Joabum *numerare populum, ut sciret numerum ejus*. (ss) *Bethsamitas percussit, eo quòd vidissent arcam Domini*, (tt) eamque curiosiùs inspexissent. *Ablata denique sunt omnia, quæ erant in domo Regis, & non remansit quidquam*; (uu) *eo quòd non nihil exaltatum fuisset cor Ezechia*. (xx) Hisque pœnis teste sacro Codice gemini hi Reges, eorumque subditi fuerunt castigati, non obstante, quòd David aliàs fuerit *vir secundùm cor DEI*: (yy) quòd non fuerit similis Ezechia de cunctis regibus Juda: (zz) quòd *Bethsamitæ obtulerint*

D 3

hols-

(qq) Ita Ambrosius lib. de pœnit. c. 9. Gregor. M. in 1. Reg. c. 4. sub finem. Theodoretus q. 14. Salianus A. M. 3324. Num. 32. & 33. Serarius in 4. Reg. & 2. Paral. Lancicius Opusc. 16. c. 8. n. 133. & c. 12. n. 210. (rr) 1. Paral. 21. v. 14. (ss) 2. Reg. 24. v. 2. (tt) 1. Reg. 6. v. 15. (uu) 4. Reg. 20. v. 17. (xx) 2. Paral. 32. v. 26. (yy) 1. Reg. 13. v. 14. & Actor. 13. v. 22. (zz) 4. Reg. 18. v. 3. & seq.

holocausta, & immolaverint victimas illa ipsa die Domino. (w) Quis hic, ô DEUM immortalem! quis justitiæ Divinæ rigorem non admiretur, & pertimescat? quis parvæ etiam noxæ malignitatem inde non colligat, & execretur?

At dices: tantúmne ergo criminis sit, infirmum hominem lubrico pede in levem quandoque nævum incurrere, ut propterea mox cœlum in iras, aër in fulgura, nubes in tonitrua erumpere debeant? Apage tot fulmina! leniora Creator fovet sensa; *ipse enim cognoscit figmentum nostrum.* (aaa) Nec habemus Pontificem, teste Apostolo, qui non possit compati infirmitatibus nostris. (bbb) Magna supplicia magna supponunt crimina; minora ejusmodi non merentur.

Enimvero ita si est, ergo Divinus Judex gravis injustitiæ se reum fecit, Moysen, Ezechiam, Davidem, Bethsamas, & Ozam ob tenuem culpam tam severè puniendo. Ergo iniquus
morum

(w) 1. Reg. 6. v. 19. (aaa) Psal. 102. v. 14.
(bbb) Hebr. 4. v. 15.

morum is censor fuit, uxorem Loth ob famineam curiositatem, duos & quadraginta parvulos ob puerilem petulantiam, re omnium terribilium terribilissima nempe subita morte afficiendo; dum illa *versa est in statuam salis, quia respexit post se*; (ccc) hos verò, *egressi duo ursi de saltu laceraverunt*; (ddd) quia Elifæo illuserunt. Ergo in nova etiam lege rigidè nimis, injustèque orbis Moderator egit, dum Abbatem Moysen, quem Cassianus *singularem, & incomparabilem virum appellat, ob prolatum in quadam disputatione contra Abbatem Macarium paulò durius verbum, tam diro confestim tradidit demoni possidendum, ut humanas egestiones ori suo, ab eo impulsus, ingereret*; (eee) licèt hic linguæ lapsus leve piaculum non excesserit? tam blasphemia pectore sensa quis foveat?

Absit, ait Hussæus Vates, *absit ab Omnipotente iniquitas.* (fff) *Verè enim*

D 4

non

(ccc) Gen. 19. v. 26. (ddd) 4. Reg. 2. v. 24.
(eee) Cassianus collat. 7. c. 27. (fff) Job. 34.
v. 10.

non condemnat frustra. (ggg) Potius venialis delicti immanem malitiam ex vindictæ hujus rigore metiri discamus, indeque arguamus, magnum omnino, & execrandum esse malum oportere etiam exile peccatum; cum id *miserans ille & clemens, patiens & multa miserationis DEUS* (hhh) in hoc adhuc mundo tam horrendum plectat, castigetque.

II.
Tum in
altero
plectitur.

II. Quod ipsum magis elucet ex pœnis, altero in orbe propterea infligi solitis; utpote quæ numero plurimæ, acerbitate maximæ, diuturnitate longissimæ sunt. Nam cruciamenta piacularis carceris sunt innumera, & atrocissima; quia plura & sæviora omnibus tormentis Martyrum, omnibus suppliciis latronum, omnibus morborum cruciatibus simul & collectim sumptis. Non mea hæc, sed Sanctorum Augustini, (iii) Anselmi, (lll) & Venerabilis Bedæ sententia est, dicentis: *purgatoriæ correctio gravior est, quam*

(ggg) Job. 34. v. 11. & 12. (hhh) Exod. 34. v. 6. (iii) In Psal. 37. (lll) In 1. Cor. 3.

quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid homo gravius potest excogitare. (mmm)
 Cui astipulatur S. Julianus Archiepiscopus Toletanus, ita loquens: *gravior est ignis purgatorii, quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* (nnn)

O voces terrore plenas! heu! ex mente Patrum ille ignis gravior est, quàm quidquid unquam passi sunt latrones à iudicibus, Martyres à Tyrannis, ægrotantes à morbis. Quin imò gravior est, quàm quidquid homo potest pati in hac vita. Et proh! quantum non potest pati homo, vitalem respirans auram? Quis nostrum in digitos mittet omnia afflictionum & miseriarum genera, quibus mortales in hac lacrymarum valle obrui possunt, ac torqueri? solùm intremus insanabilium nosocomia, visitemus Venetos carceres, intueamur Anglorum equuleos, ô quàm multiplices & horrendi cruciatus humana hic corpora affligunt!

D 5

Enu-

(mmm) Tom. 5. l. 3. exposit. in Lucam.
 (nnn) L. 2. prognost. c. 19.

Enumerat Gallenus plura millia disparium inter se dolorum, à quibus unicum caput vexari valeat. His si addantur illi, quibus reliquum corpus, præsertim secretiores ac intimæ hominis partes cruciari possunt, quantus afflictationum exercitus conflabitur? Et tamen (ut asserunt gemina Ecclesiæ lumina Sancti Cæsarius, & Thomas) non æquabunt vel minimam illius ergastuli pœnam. *Ille ignis purgatorii* (ait Arelatensis) *durior erit, quàm quod potest pœnarum in hoc seculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri.* (ooo) Aquinas verò affirmat, *pœnam minimam purgatorii excedere maximam hujus vitæ.* (ppp)

Mentis, quæso, hinc vires collige, quisquis hæc legis ac verborum sensa attentius perpende. O Superi! ergone possibile sit, ut *minima ibi pœna excedat præsentis vitæ maximam? ut ille ignis durior sit, quàm quidquid pœnarum in hoc seculo excogitari potest?* Et tamen ita est. Omnes excogitandi cruciatus
in

(ooo) Hom. 8. ad populum.
d. 21. q. 1. 2. 1. q. 3.

(ppp) In 4.

in ejusmodi animam velut ad centrum confluent, eamque torquebunt sine levamine, continenter sine ulla intermissione. Id est, purgans anima eo doloris genere pro ratione culparum cruciabitur, qui æquabit omnes illos, queis ferendis tum corpus mortale in suis sensibus & organis: tum anima in suis facultatibus capax est; iisque cruciabitur diuturna plurium annorum intercapedine. Ad ista edicite! cui, quaeso, præ horrore non rigeant artus? At pergamus.

Et hæc numero plurima, acerbitate maxima, duiturnitate longissima lustrici illius rogi supplicia infliguntur ob veniales culpas . . . heu! ob veniales culpas! . . . ob mendaciolum, levem iracundiam, modicam distractionem, verbum otiosum, ob perditam temporis momenta. Ah! ob illas ipsas veniales culpas, quarum nos innumeras de die petulanter admittimus, per jocum effutimus, cum halitu profiamus.

Et

Et infliguntur (contremisce ô peccator!) mentibus polo destinatis, spon-
 sis Christi, filiis & hæredibus cœli; &
 quidem infliguntur à DEO justissimo,
 qui peccatum ultra meritum punire
 non potest; quique animas illas te-
 nerrimo, & infinito amore prosequi-
 tur; idque (quod horrendum) conti-
 nuato per plures annos supplicio. O
 Cœlites! his tam infandis doloribus
 ob unicum non rarò & levem nævum
 animæ electæ summæque dilectæ à mi-
 tissimo Numine torquentur non una
 vel altera horula, sed continuato per
 plures annos cruciati. Agite! ex his
 quid jam concludimus?

Ergo (sequelæ vis perpendatur) er-
 go vel DEUS injustissimus & crudelissi-
 mus est tyrannus (quod blasphemum
 foret vel suspicari) vel parva etiam no-
 xa prorsus tremendum, & execrandum
 est malum. Ita est ô Religiose! ô Sa-
 cerdos! aut DEUS crudelissimus est ty-
 rannus, aut illa tua vana gloria, men-
 tis evagatio, impatientia prorsus tre-
 mendum & execrandum est malum.

O Supe-

O Superi! hæc credimus, hæc etiam alios docemus; & tamen peccamus. Scimus vel unicam tenuem offensam mereri lustrales flammæ; & tamen peccamus. Non auderemus vel leviter delinquere, si certò sciremus, nos post unum vel alterum tale erratum vivos in foro comburendos esse. Ah! credimus nos ob illas ipsas, quas committimus leviores maculas in illis ignibus arfuros, & tamen eas tam audacter augemus, & *iniquitatem velut aquam bibimus.* (qqq) Quæ hæc infania? Ah! tandem meliora sapiamus, & his veritatibus convicti, magnum semper horrorem ac implacabile odium omnis piaculi etiam exigui animo foveamus.

O DEUS! ego pugillus cineris te Dominum dominantium post collatas mihi tot gratias offendi, & quidem toties . . . idque per risum . . . pro re tantilla . . . ex mera petulantia; ubi nulla penitus boni spes, aut mali metus impellebat. Ah! nec pro obtinendo

(qqq) Job. 15. v. 16.

nendo totius mundi imperio, nec pro
evitando etiam gravi morbo aut ipsa
morte, decuisset Te Summum Bonum
vel levissimè offendere; hæc scivi, &
tamen innumera per diem à mane ad
vesperam usque continua serie venia-
lia accumulavi; idque jocando. O Cœ-
li! jocando DEUM . . . Ah! DEUM
meum ac Patrem optimum . . . ob
vile commodum, ob inanem gloriam,
animi exhilarandi causa offendi. Ad
confinia lethalis noxæ, & orci margi-
nem per leviuscula deductus, salutis
prodigus etiam risi, & debitas iis in lu-
strico carcere poenas nihili feci. O cæ-
citatem sanguineis lacrymis dignam!

Sed pænitet. . . . doleo dete-
stor omne etiam minimum peccatum.
Insculpta cordi adamantino stilo aurea
illa adhæreat tessera, nulla unquam
oblivione delenda; *malo mori, quàm
fadarè etiam levi labe.* Illumina Do-
mine, ah! *illumina tenebras meas,* (rrr)
ut clariùs indies agnoscam venialis cul-
pæ gravitatem! *spiritum rectum innova*
in

in visceribus meis, (sss) ut ingenti horrore fugiam, & averfer, quidquid etiam leviter Divinæ tuæ displicet Majestati.

§. IV.

De practico peccati venialis odio, ejusque sedulo vitandi studio.

Cùm fructus ex hæctenus dictis colligendus, non consistat in sterili solum cognitione enormis malitiæ venialis noxæ, sed potius 1. in practico ejus odio, 2. illiusque serio cavendi studio, præsentis paragrapho utrumque animis altiùs inferere conabor; & quidem variante stilo, more investigationis rem tractabo, ut sacræ collectioni triduo vacaturis, pro examine statûs fervire queat. Id quod plerumque etiam deinceps in quovis ultimo cujusvis capituli paragrapho observabitur.

I. Itaque salutis studiose Lector, postquam levioris etiam piaculi malignitatem in se ipsa considerasti, eamque adhuc magis ex funestis ejus sequelis,

I.
De practico ejus odio.

quelis, horrendisque suppliciis exhorrescere didicisti; examina modò, quàm firmus igitur menti dominetur *horror* offensæ venialis saltem deliberatæ, & pleno cum assensu admittæ?

Perpende, an seriò credas, *ab uno minori delicto majus malum advenire, quàm à toto simul tartaro?* (a) & longè meliùs esse, corpus ac omnia corporea *perire simul, quàm ledi animam in re etiam minima?* (b) adeoque multò intolerabiliorẽ esse *DEI offensam quamlibet exiguissimam ipso Luciferi inferno?* (c) Perpende, inquam, an hæc, & quâ fide credas? num certa, & constanti? an verò dubia solùm, aut debili?

Insuper inquire, num tanto & pari mœrore affligaris, si fors labi te in ejusmodi piaculum contingat, quo, & quanto conficitur bonus alioquin ac teneræ mentis Christianus, qui casu fortuito in crimen mortiferum prolabitur? An cum S. Anselmo malis te
in

(a) S. Theresia in vita à se scripta c. 25.
(b) S. Dorotheus Serm. 20, (c) B. Catharin, Genu, cap. 27.

in òrcum demergere, quàm talem culpam committere; ac potiùs purum, & innocentem gehennam intrare; quàm peccatè hujus sòrde pollutum cælorum regna tenere? (d)

Percontare ex temetipso: quid si levi mendacio lethalem morbum, gravem infamiam, ferale supplicium à me amoliri; aut honorificum quoddam munus, vel centum aureos acquirere, aut erumpens subitò propriæ domûs incendium extinguere possèm, an non mentirer? . . . si aut leviter peccandum, aut re valde amata carendum foret, quid agerem? . . . Ad hunc lapidem lydium illud, quo ejusmodi navos averfari, odium periclitare; & cum Eleazaro fortiter decerne, *præmitti te malle in infernum*, (e) quàm levi etiam noxa foedari. *Secus manum Omnipotentis nec vivus, nec defunctus effugies.* (f) Nam *peccata etiam parva impunita esse non possunt.* (g)

Pars I.

E

Pro-

(d) Lib. 1. cur DEus homo c. 21. (e) 2.
Machab. 6. v. 23. (f) Ibid. v. 26. (g) S.
Prosper in sent. S. Aug.

Proin cura, ut semper animo altè immissus insideat horror omnis peccati venialis saltem deliberati, præcipuè illius, 1. in quod frequentius laberis; nam crebrius nos infestans morbus primam Medici exposcit manum. 2. Quod aliorum defectuum fons est & origo; succisa enim radice, sua sponte arescent stolones rami. 3. Quod ad lethalia proximiùs deducit; qui enim præcipitium seriò timet, etiam femitam, quæ eò ducit, horret. *Non citò ad majora progreditur, ait Hieronymus, qui parva formidat.* (h) *Cura ergo levia, quoad levia sunt, ne graviora fiant; (Sancti Dorothei monitio est) facile enim ab his parvis ad magna committenda delabimur.* (i) Nam (ut observat S. Gregorius Papa) *in unoquoque lapsu à minimis semper incipitur, & succrescentibus defectibus, tandem ad mortifera devenitur.* (l)

II.
De sedulo
ejus vi-
tandi stu-
dio,

II. Verùm non sufficit ingens hujus monstri concepisse odium, nisi huic

(h) Epist. 14. ad Paulinum. (i) Serm. 5.
(l) L. 31. Moral. c. 9. al. 12.

huic solers pariter, in eo vitando, societur studium; quod quatuor capita complectitur, nempe firmum propositum, assiduam vigilantiam, promptam repugnantiam, & charitati junctum orationis fervorem. Cùm verò *propositum* cavendi futura, nequeat esse *firmum*, nisi ardens de admissis præcesserit dolor;

1. Examina, quàm incensus is esse soleat? Nam teste V. F. Alphonso Rodriguez *etiam unicum tale delictum meretur, ut tota vita defleatur.* (m) Proinde, an & quàm fervens sit illa detestatio, quam de commissis levioribus erratis examini nocturno subjungere, & sacrae exomologesi præmittere assuevisti? Si que interdum leviter te labi contingat, num mox doleas, vel dicendo cum Regio Psalte: *peccavi*; (n) vel exclamando cum illo cæco: *Jesu Fili David! miserere mei*; (o) vel ingemiscendo cum illo publicano: *DEus propitius esto mihi peccatori.* (p)

E 2

Præter-

(m) In Ejus vita l. 1. c. 3. (n) 2. Reg. 12. v. 13. (o) Marc. 10. v. 47. (p) Luc. 18, v. 13.

Præterea inquire, quàm firmum tunc & efficax sit, illa deinceps cavendi decretum? an semper unum aliquod singillatim designes, in posterum usque ad proximam tui in sacro tribunali accusationem peculiari cura corrigendum? Numque hoc confessionis propositum renoves horis succisivis, quibus aliàs latens triticea sub nube DEus adorari à te consuevit? quot jam hujus generis noxias per toties repetitas conscientia expiationes emendaris? vae illi, cujus vitio coeleste hoc pharmacum vertitur in toxicum.

Ut autem memoratus dolor debito cum fervore deinceps eliciatur, dictumque propositum optata efficacitate non careat, ea, quæ de levis piaculi malitia hucusque prioribus §§is fuerunt inculcata, vivaci memoria erunt retinenda, & vel sub meditatione, vel aliàs sæpius recolenda. Sicut enim (ut docet S. Thomas) *omne peccatum contingit ex defectu cognitionis*, (q) qua ejus turpitude, gravitasque rite cogno-

(q) 1. 2. Q. 77. a. 2.

cognoscitur; sic é contrario ejus perspicua notio potens, & efficax est, quo à peccando retrahimur, frænum. Et sicut cognitio veneni, quo turget serpens, efficit, ut eo vel longiùs viso, statim quis pedem referat, declinetque; ita vicissim *tanquam à facie colubri fugiet peccatum* (r) etiam pusillum, quicumque ejus foeditatis perspicaci jugique notitia præditus fuerit. Et hinc S. Edmundus Archiepiscopus Cantuariensis, hac quia claruit, *in rogam ardentem insilire maluit, quàm delictum ullum sciens admittere.* (s) Contrà verò nos (Chrysoctomi verba sunt) *quia non celeriter animæ lucernam accendimus, qua illustrati hujus vitii malignitatem inspiciamus, singulis diebus offendimus.* (t)

2. Nihilominus nec ista quidquam proficient, nisi accesserit *perpetua* quædam *vigilantia* & sollicitudo assidua, ne à nobis ullo pacto offendatur DEUS. Hoc remedio S. Patriarcham Ignatium suo singulari emolumento usum fuisse,

E 3

testa-

(r) Ecclesi. 21. v. 2. (s) In Ejus vita,
 (t) Hom. de S. S. Martyribus.

testatur Maffejus, sic de eo scribens: erat in perpetua quadam vigilia contra omnes rerum mortalium illecebras & otiosam mentis evagationem; nec minus accurate animum ab omni labe tuebatur, quàm qui pretiosis ornatì vestibus via luttulenta coguntur incedere. (u) Aurea certè, & peraccomoda hæc à vestimentis petita similitudo est; sicut enim (ait Macarius senior) si socors aliquis & ignavus per loca spinis & luto plena noctu gradiatur, vestisque ejus hinc inde neglectim defluat, ea vel spinis lacerabitur, vel luto polluetur; ad eundem ferè modum anima nostra cum corpore suo transiens per spinas, & lutum hujus vitæ, nisi ex omni parte cum studio & diligentia coërceat se ipsam, mox spinis & luto variorum defectuum fœdabitur, & lædetur. (x) Præterea cum (ut enunciat Chrysostronus) hostem habeamus perpetuum, ac fœderis nescium; manifestum est, magna nobis vigilantia opus esse, ut ejus fraudes vincere possimus. (y)

Itaque

(u) L. 3. c. 1. (x) Rosvveid. in vit. Patrum.
(y) Hom. 60. in Gen.

Itaque examina, qua providentia quinque sensibus, ac tribus animæ facultatibus invigiles? An cautè (ut monet idem Macarius) *oculum avertas, ne prava videat? aurem subducas, ne noxia audiat? linguam refrænes, ne vana loquatur? cor denique conserves, ne cogitationes aut desideria per mundum impune volutentur.* (z) Quid enim mirum, quod hinc atque illinc in offendicula impingas, si cunctis appetitionibus & phantasiis liber accessus ad te ac transitus pateat? si illos animi proditores (sensus intelligo) licenter vagari sinas? præsertim oculos & linguam; nam *vitiis nostris per oculos via est*, ait Quintilianus; (aa) *eosque cor nefariè sequi solet.* (bb) Per illos veluti per fenestras mors furtim in animam intrare, eique gratiæ thesaurum diripere consuevit. *Lingua verò, teste Apostolo Jacobo, ignis est: universitas iniquitatis est, quæ maculat totum corpus: inquietum malum est, plena veneno mortifero.* (cc) *Ut ergo*

E 4

mens

(z) Loc. supra cit. (aa) Declamat 1. pro cæco. (bb) S. Greg. Nazianz. (cc) Jacob. 3. v. 6.

mens munda in cogitatione servetur, monitore Hieronymo, deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. (dd) ori verò tuo pone custodiam, & ostium circumstantiæ labiis tuis, ne cor tuum declinet in verba malitiæ, (ee) præcipuè in murmurationes, stultiloquia, detractiones, litigia, susurrationes, mendacia & alia his similia viperarum genimina.

Juvenit etiam sub meditatione, vel post exomologesin, aut sacram Synaxin animo revolvere occasiones & illicita peccandi leviter; v. g. illa loca, personas, negotia, quæ uberio-rem ejusmodi lapsibus ansam præbere consueverunt; seque prævio horrore, ac præmissis dissensu, aut fugæ proposito contra lapsum obarmare. Nam teste Chrystostomo *consideratione laqueorum, in quibus incedimus, peccata vitantur. (ff) Insidiantis enim culpæ evadere gladium nequeunt, (Gregorii Magni effatum est) qui non sollicito quotidie timore*

(dd) In cap. 3. Thren. (ee) Psal. 140. v. 3. & 4. (ff) Hom. 15. ad pop.

more contra ista mentem muniunt. Facilis est enim animus vinci imparatus, se haud accinctus derepente ineat certamen. (gg) Expediit ergo praevidere pericula, quae formides, ut egregiè praeunitus prodeas in aciem. Ita Sanctus Theodor. Studita. (hh) Considera igitur, quomodo circa ista te habeas?

3. Praecipuè verò, an mox primordiis prompta repugnantia obnitaris, & ipsa etiam piaculorum initia providè vitas? Age, scrutare Jerusalem in lucernis, (ii) & vide, an non subin tentationi semi-plena voluntate succumbas? inter assensum & dissensum dubius titubes? & aliquid saltem hostis intra cordis castellum admittas? O temerarie! si animæ te cura, si coeli te amor tenet, per tuam te salutem obtestor, vel umbram fuge: ipsa etiam tuta time: ad primum inimici conspectum mox ad arma conclama. *Jubet enim Dominus, (ait Palladius) ut observemus caput serpentis; contrito enim ejus capite totum corpus est*

E 5

morta-

(gg) In Jobi c. 9. (hh) Serm. 116. (ii) Soph. I. v. 12.

mortuum. (ll) Quique principiis audax
obstiterit, is indubié victor erit.

Rationem dat B. Laurentius Justianus, sic scribens: *quia, quò quisque magis strenuè ab initio pugnaverit, eò robustior evadet, majoribusque auxiliis à DEO adjuvari solet.* (mm) Secus (crede mihi) neglecta scintilla, magnum excitabit incendium. Levem negligentiam turpis sequetur lapsus. *Sicut enim parva (Oris Aurei comparatio est) in vestimentis facta scissura, nec resarcita, magnam facit disruptionem; & sicut torrentes, si vel minimum ceperint ingressum, mox totum introducunt fluentum;* (nn) ita quoque cerastes stygius, modò per rimulam caput immittere fuerit permissus, mox reliquo corpore sinuosa fraude secutus, omnium potietur. Nempe nimiùm vafer est: anguilla glabrior est: sisti, teneri impatiens est; si vel digitum ei porrexeris, mox totam admordebit manum; victusque

(ll) In Historia Lausiaca c. 52. (mm) Lib. de instit. & regim. Prælatorum cap. 4. (nn) S. Chrys. hom. 19, ad pop.

Et usque certò cades, nisi assultus primordiis generosè restiteris.

4. Id autem ut fiat, *multa & ferventi oratione, DEique amore munendus est animus*, (ait S. Isidorus Pelusiota) ne à dæmone per peccata suggesta vincatur. (oo) Oratio enim est illud armamentarium, unde opportuna vincendis hostibus arma depromuntur. Amor DEI verò est ille focus, ubi illa ancipiti acie instruuntur, & magis exacuuntur. Nam, nisi charitas bellicos ardores indiderit, nostra omnis pugna languebit. *Et nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequicquam vincere conamur errores & tentationes; cum pares nos ad eis resistendum, non liberum arbitrium, sed DEI solum facere possit auxilium;* (pp) quod tamen non datur, nisi oranti.

Inquire itaque, quàm ardentè etiam tu cum Machabæo ores, *ut Dominator cælorum mittat Angelum suum bonum ante*

(oo) Lib. 2. Epist. 164.
Papa ad Conc. Carthaginense.

(pp) S. Innoc.

*te te in timore & tremore magnitudinis
brachii sui? (qq) An imiteris Judam,
& Socios ejus, qui invocato DEO per
orationes, cum suis hostibus congressi sunt,
manu quidem pugnantes, sed Dominum
cordibus orantes. (rr)*

Indaga, an per selectos, & certis
temporibus eliciendos charitatis actus,
contra frequentiores, magis periculosos
& familiares tibi lapsus præmunire te
labores? ex. gr. audito horologii pul-
su, dicendo: *amo te mi DEUS! super
omnia; & hinc malo infamari, agrotare,
mori, quàm fœdari veniali nave, præser-
tim isto N; aut contestando: ô Do-
mine! etiamsi possem levi iracundia, men-
dacio, distractione crurifragium, infamiam,
morbum, aut mortem declinare,
vel summam mihi scientiam, aestimatio-
nem hominum & amorem procurare, nol-
lem delinquere.* Ejusmodi affectus &
vibrata cœlum versùs charitatis spicu-
la, contra DEI offensas etiam minores
potens antidotum esse, testatur S. Pro-
sper,

(qq) 2. Mach. 15. v. 27. (rr) Ibid, v. 26,
& 27.

sper, dicens: si DEUM ex toto corde diligamus, nihil erit in nobis, unde peccati desiderii serviamus. (ss)

Itaque descripto superiùs odio, si levium etiam noxarum *malitiam* execrati fuerimus; si relatis quatuor remediis usi, illas evitare constanter studuerimus, beati erimus; quia mundi corde. Nec erit, quod nobis ab earum effectibus aut suppliciis timeamus.

(ss) Lib. 3. de vitæ const. c. 15.

